

1235.

1298 d. 12 Maj.

Upsala.

Ärke-Biskopen i Upsala NILS ALLESSONS Stadga och förordnande om kyrkotjenstens förrättande.

B. 2. 126.

Statutum quo ad chorales quomodo seruiant et habeant se circa chorum.

¶ In nomine domini Amen Anno eiusdem millesimo ducentesimo Nongesimo octauo die beatorum Martirum nerej, achillej et panchracii nos NICOLAUS miseracione diuina archiepiscopus vpsalensis Considerantes, Quoniam qui in ecclesia deij gradu preeminenti pociore solent sepius ecclesiasticis prepediri negociis, ne suis in locis valeant personaliter intendere diuinis officiis adimplendis Jdcirco ne nostra vpsalensis ecclesia ob predictam causam, debita diuini officii celebritate minoretur, prouida deliberacione prehabita de consilio et consensu nostri capituli ordinaciones et statuta fecimus infra-scripta, ¶ In primis quod quilibet canonicorum vicarium habeat qui sit presbiter quam cito eum archiepiscopus sibi per se vel suum mandatum assignauerit, quem si habere non poterit, donec ipsum habuerit deseruiat per clericum qui sit subditus per omnia et astrictus choralium statutis Si vero oblatum sibi vicarium acceptare noluerit, die qualibet postmodum qua sacerdote caruerit soluat vnum solidum denar., leuandum et recipiendum per vnum de canonicis qui custodiam habet oblacionum qui solidus duobus clericis qui seruierunt in choro detur, vel eciam si clerici apti pro seruicio chorj non habentur, vsibus ecclesie cedat, (¶) Item statuimus quod prebendarii, in ecclesia nostra vpsalensi instituti, quorum primus per dominum beronem prepositum, Secundus per dominum iacobum archiepiscopum predecessorem nostrum Tercius per dominum iohannem archidyaconum, quartus per dominum salomonem, canonicum ecclesie nostre vpsalensis qui perpetuas prebendas seu vicarias sunt sortiti, ad frequentandum chorum sub penis in choralium statutis contentis, obligati sint et astricti, hoc excepto quod diebus ferialibus et in festis trium lectionum ab horis minutis, silicet prima, tercia, et sexta nona et completorio sint excusati, ¶ Item ad inofficiandum in choro, vel ad cantoriam habendam, vt alii vicarii canonicorum minime teneantur, In sollempnitatibus vero vel festis maioribus in quibus canonici missam in choro dicere solent canonicis absentibus, vnus de predictis prebendariis prout inter se ordinauerint missam dicat in choro, et similiter eciam in festis maioribus cantoriam faciant dum ad hec fuerint annotati, per canonicum, vel vnum de prebendariis ipsis, volumus eciam quod capitulis choralium interesse teneantur, et sicut in hiis et aliis obseruanciis choralium subduntur, ita eciam oblaciones et alia queuis emolumenta participant cum eisdem, prebendarium vero qui in negociis sacristie occupatur tempore dicte occupacionis non astringimus ad predicta vel aliqua de illis Im-

mo durante dicta sua occupacione ab obseruanciis choralium quantum ad penas esse volumus absolutum, si aliter absens fuerit parem in omnibus ipsum esse volumus aliis prebendariis et equalem ¶ Jtem statuimus vt quicumque choralium se a choro absentauerit tempore quo dicuntur hore in ecclesia licencia non optenta, eciam si in ipsa ecclesia tunc moretur penam soluat absencie prout in statutis choralium continetur, Si vero quis ipsorum propter infirmitatem prepeditus fuerit durante infirmitate excusatus sit ipse et dominus suus ita quod ullum loco sui in choro habere teneatur ¶ In licencia vero petenda seu danda, hunc modum volumus obseruari, videlicet quod ebdomadarius auctoritatem habeat illam indulgendj, de horis minutis in ferialibus diebus vel festo trium lectionum Jta tamen quod vni persone de vna horarum tantum vel duabus, si causa subest, gratiam faciat nec eciam de aliqua horarum nisi tribus aut quatuor personis ad maius hanc licenciam relaxet De matutinis vero missa et vesperis non aliter licenciam indulgeat, nisi vt ipsam licenciam recipiens, clericum loco sui in choro habeat, aliter datam licenciam vel receptam valere nolumus sed absens secundum statuta puniatur, In sollempnitatibus vero et festis maioribus licenciam predictam a seniore de prebendariis peti volumus et indulgeri, secundum modum supradictum Qui eciam prebendarius absentes notet in festis maioribus et in capitulo referat ebdomadario hoc officium aliis diebus vt consuetum est hoc faciente ¶ Cum aliquis prebendariorum vel vicariorum necesse habuerit licenciam petere, ciuitatem exeundj illam petat ab ebdomadario presbitero de consciencia et consensu domini sui si presens fuerit alioquin ipso absente, senioris prebendarii consensus requiratur, optenta tamen licencia duos dies vel tres liberos habeat, prout predam dominus suus, seu prebendarius taxauerit sibi, in quibus ullum loco sui in choro habere compellatur Qui si vlterius defuerit et de licencia illis diebus elapsis, loco sui in choro clericum habeat seruientem, qui choralium subiaceat statutis et si vltra licenciam datam defuerit, diebus singulis quatuor denarios soluat, et duplum huius in maioribus festis, que pena recipiatur vt in primo articulo est expressum Maior autem vel longior licencia petita ab eisdem septimanam non excedat nisi causa legitima subsit, nec nisi ter in anno detur eidem persone nisi notabilis casus eundem artauerit quartam licenciam petendj ¶ Pro minucione facienda quater vel quinquies in anno licencia ab eisdem personis iuxta modum supradictum dari potest, huiusmodi tamen licencia singulis vicibus tres dies non excedat, nec detur hec licencia simul et semel preter quatuor personis quibus heedem persone vt supra suum prebuerit assensum, ¶ Jtem statuimus vt cum vicariorum aliquis seu prebendariorum missam ad maius altare dicere contigerit, oblacionem que venerit super altare si Octo denarii vsualis monete vel infra fuerit ipsam recipiat communitas choralium, si so-

lido vltra quid venerit, sit illud communitatis canonicorum, cum vero canonicorum aliquis missam illic dixerit celebrans solidum recipiat quid vltra venerit sit communitatis canonicorum. ¶ Jtem cum ad aliquorum instanciam missa animarum ad maius altare per quempiam canonicorum dicitur, celebrans oram denar. recipiat de oblacione quod vltra fuerit sit communitatis canonicorum ¶ Cum dominus archiepiscopus ad maius altare celebrauerit, oblacio illic facta taliter diuidatur, quod aurum vel argentum formatum illic oblatum sit ipsius domini archiepiscopi, panni vero seu candeles cedant vsibus fabrice, moneta vero oblata cuiuscumque generis sit dummodo sit argentea spectet ad communitatem canonicorum, ¶ Cum organum dicitur cantores illius vnam oram leuent de oblacione, dummodo tantum fuerit, si minus ora venerit et illud recipiant, quid autem maius ora venerit sit communitatis canonicorum, ¶ Jtem statuimus quod si quis missam dicere voluerit priuatam sit excusatus ab horis minutis que dicuntur in choro tempore sue misse Cum autem dicitur missa maior, ante offertorium illius misse nullus inpune chororum exeat ad dicendas missas speciales nec ebdomadarius auctoritatem habeat huiusmodi licenciam dandj tempore supradicto, Contrarium faciens tamquam absens puniatur Actum vpsalie anno et die supradictis Jn horum autem robur et euidenciam pleniorum sigillum nostrum et sigillum capituli nostri presentibus sunt appensa.

1236.

Ett ytterligare Stadgande rörande kyrkotjenstens förrättande i Upsala domkyrka.
B. 2: 129 *)

¶ Facta compulsacione ad matutinas missam. et vespervas seu eciam pulsacione facta ad primam die qualibet sint in choro ebdomadarius vel qui officiare tenetur cantor et succentor, a pulsacione vero facta infra horam qua competenter et sine fraude potest legi *pars Miserere mej*, pater noster, et credo non incipiat officium dicendum, contrarium facientes puniantur in feriis et festis III lectionum in obulo Jn festis vero quum chorus regitur per duos cantores in I denario, quum regitur per quatuor cantores II denariis et nota quod augmentacio penarum per huiusmodi similitudinem et formam in omnibus absenciis debet obseruari, vt simplex festum IX lectionum duplo maiorem penam infligat quam feria vel festo III lectionum et maiorem duplum quam simplex IX lectionum, et est notandum quod in omnibus absenciis pro quibus choralis alius punitur in simplo ebdomadarius

*) Efter föregående stadgande är ett blad bortskuret, och börjas det derpå följande med hvad här anföres. Att detta står i sammanhang med föregående, visa så väl stadgarne sjelfva, som gamla förteckningen på innehållet af denna codex, der dessa blad säges upptaga: "*St. statutum quo ad chorales quomodo se habere & servire in choro. vna cum suis declaracionibus.*"